



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli
Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

Francisco <de Javier>

Romæ, 1667

Epistola X. Patribus Francisco Perezio Et Pavlo Antonio Herediæ Societatis
Iesv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](#)

E P I S T O L A X.

PATRIBVS FRANCISCO PEREZIO ET
PAVLO ANTONIO HEREDIÆ
SOCIETATIS IESV.

Pater Francisce Perezi è Societate Iesv,
impero tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ , ut statim à viso hoc meo mandato , te
conferas Cocinum, navibus hoc anno illuc itu-
ris , ducens tecum Ioannem Bravium , item-
que Bernardum , si ita tibi videbitur ; & ex
die quo Cocinum attigeris , capessere regi-
men incipias Collegij Societatis Nostræ ,
quod in eâ urbe est ; ibidemque exerceas mi-
nisteria concionandi , Confessiones audiendi ,
& alia bona opera , prout faciebas Malacæ ,
juxta mandata tibi eâ de re scripto à me edita ;
aut etiam juxta formam quam olim præscri-
psi Antonio Herediæ Collegium Societatis
Cocini gubernanti . Tibi quoque , Antoni
Heredia , siue quis alias Rector erit Collegij
Cocinensis cum eò Franciscus Perezius adve-
niat , mando in virtute Obedientiæ , ut sta-
tim modò nominato Patri Francisco Perezio
præfecturam istam hactenùs administratam ce-
das;

R R 4



632 S.FRANCISCI XAVERII

das ; ita ut ex tunc ille incipiat quām optimo
jure Rector esse Familiae istius ; tuque , aut
quicumque alias ante id Collegium regebat ,
primā quaque occasione te conferas Goam ;
ibique te compares ad iter Iaponicum , sta-
tim ac præscriptum tibi fuerit , capeſſendum :
vel eundum quocumque , ac faciendum quid-
quid jusserit Pater Magister Gaspar Barzæus
Rector Collegij Goani. Sic enim ut faciatis
omnes , ex animi mei sententiâ decerno , &
pro potestate jubeo . in cuius rei fidem
huic mandato manu meâ subscripsi . In
Portu Sancianensi pridiè Idus Novembriſ An.
CICCI.

Franciscus.

EPISTOLA XI.

IACOBO PERERIAE.

Quod ad te , Domine , nunc quidem
ſcribam , aliud admodum non habeo ,
præter iteratas , & quantumvis mul-
tiplicantur , nunquam exhausturas immensum
debitum , profesſiones grati mei erga te ani-
mi , propter nullo fine aut modo in dies &
horas

